

Vd
264





Vd
264

h.10,31.a

A D
ORATIONEM SOLEMNEM
Q V A
AVSPICATISSIMVM CONNVBIVM
I N T E R
SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM
PRINCIPEM AC DOMINVM
D O M I N V M
C A R O L V M
HIEROSOLYMAE ET VTRIVSQUE SICILIAE REGEM
HISPA NIARVM INFANTEM ETC. ETC. ETC.
E T
SERENISSIMAM AC REGIAM PRINCIPEM AC DOMINAM
D O M I N A M
MARIAM AMALIAM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
D O M I N I
F R I D E R I C I A V G V S T I
REGIS POLONIARVM ET ELECTORIS SAXONIAE
ETC. ETC. ETC.
F I L I A M N A T V P R I M A M
DVCEM SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGRIAEC AC WESTPHALIAE ETC. ETC. ETC.
CRAS D. XXVIII. APRIL. A. R. G. cl^o Is CC XXXVIII
IN TEMPLO ACADEMICO
CELEBRABIT
WOLDEMARVS S. R. IMP. LIB. BARO
A S C H M E T T A V
DECENTER INVITAT
ACADEMIAE LIPSIENSIS RECTOR.



ORATIONES GERMANICAS
AGREGATISSIMAS IN GENIBUS
SERVASSIM AC PRACTICISSIMIS
SCHEISSEINIS IN DOMINA
HOMINIS
MAGISTERIA
MAIORUM MAGISTRUM
SOLITUDINIS
TRINITATIS ANGELI
MAGISTERIA
OSSIS CINIS ET COLUMBIS
VATICANIS
AGADAM





Dignae sunt omnino incomparabiles FRIDE-
RICI AVGUSTI NOSTRI, Patriae
Patris clementissimi, et MARIAE IOSE-
PHAE, Patriae Matris indulgentissimae,
virtutes, ut, quo arctiori vinculo inter se sunt
copulatae, quo maiorem splendorem vbiue terrarum
diffundunt, eo maioribus praetoriiis a nobis ornentur, eo
studiosius aliis ad imitandum proponantur, atque eo solli-
citius omni posteritati, quae futura est, de meliori nota
commendentur. Quas enim in nummis complurium an-
tiquorum Caesarum frequentius legimus *Virtutes*, quae
Principes maxime decent, **IVSTITIAM, AEQUITATEM,**
PIETATEM, CLEMENTIAM, FIDEM, CONSTANTIAM,
LIBERALITATEM, MUNIFICENTIAM, PROVIDENTI-
AM:^{a)} eae fane omnes et singulae in uno nostro **FRI-**
DE-

- a) Collegit has *Virtutes* ex antiquis nummis **EZECHIEL SPANHEMIVS**, Liber Baro, in dissertatione tertia de praestantia et vsu Numismatum Antiquorum p. 148. cuius verba digna sunt, quae hic repetantur: „Haud diffiteri licet, *inquit*, ipsas Principum „artes, officia, vitae, ad salutis publicae et priuatae laudis normam, feliciter instituen- „dae praecpta, in priscis **ROMANORVM** nummis praecclare omnino, et luculentem „confici. Hoc enim abunde tot praestantissimarum *Virtutum* effigies, passim in iis „traditae ostendunt; aut publicae etiam *Felicitatis*, quam iidem celebrant, comme- „moratio: quae nihil aliud, quam pictura quaedam loquens, (vt de poesi alioquin „dictum) veram optimi status, et vitae laudabiliter actae imaginem continuo ante „oculos ponit. Vnde illas ipsas regnandi artes an leges, vna cum sacris Caesarum „vultibus, in iis passim haud temere expressas intuemur; vt individuum quandam „illarum cum supraea potestate societatem, iidem religiose fouendam sibi et retinen- „dam scirent. Qua in re non minus adpositae illae *Virtutes*, quae maxime Principes „decent, et quibus publica salus potissimum incumbit, frequentius etiam confignan- „tur: ita ut qui **IVSTITIAM** etc. **PROVIDENTIAM**, et bellicae *Virtutis* argu- „menta crebro in nummis **CAESARVM** legit; speculum quoddam in iis Principum, „et grauissimi muneris officia eadem opera agnoscere sele fateatur.

DERICO AVGUSTO tam amice conspirant, ut citra controuersiam nulla EIDEM abiudicari possit. Quae porro in nummis variarum AVGVSTARVM occurunt solemnes Matronarum virtutes ac praecipua decora et ornamenta: FECVNDAITAS, PUDICITIA, PIETAS, CONCORDIA: b) illae in vna nostra MARIA IOSEPHA ita iunctim inueniuntur, ut nulla antiquarum AVGVSTARVM facile cum ea comparari queat. Atque hic illustrium virtutum chorus, quo FRIDERICVS AVGVSTVS et MARIA IOSEPHA stipantur, et quem pluriiae gentes in IIS admirantur, non potuit non Academiam nostram, his Principibus iamdudum deuotissimam, excitare, ad religiosissima vota, pro salute hu- ius PARIS IN COMPARABILIS, facienda.

Precata est Academia nostra ante hos fere vndeuiiginti annos, c) vt Numen Immortale FRIDERICVM AVGV-

b) Idem SPANHEMIVS l. c. de *Virtutibus*, in nummis AVGVSTARVM obuiis, in hanc sententiam differit: „Vbi vero AVGVSTARVM nummos consulet, solemnes Matronarum Virtutes ac praecipua decora, FECVNDAITATEM etc. CONCORDIAM, earundem oculis et memoriae illorum temporum opportune quoque subiecisse et commendasse veteres intelliget. Ut qui in frequentes id genus inscriptiones ac effigies incidit, obuias in nummis Augustarum, eadem opera videat, quid saecula haud alias nimis verecunda, et vulgo foedis adulationibus sordida, laudandum tamen vnicce aut expetendum crediderint in sequiore sexu, cuiuscunq; tandem sit fastigii; immo quid pae caeteris deceat regales nurus. Id nempe, quod inter Metelli prospera enumerat grauis Auctor Valer. Max. I. VII. c. 1: *Vxorem PUDICITIA AC FECVNDAITATE conspicuum conciliauit*; aut quo Agrippinae Germanici coniugis elogium complexus est Annalium scriptor (Tacitus) Annal. I. c. 41. *insigni FECVNDAITATE, praecolla PUDICITIA*; et vbi eandem alibi Annal. II. c. 43. cum altera Tiberii nuru contendit, *coniux Germanici Agrippina FECVNDAITATE ac FAMA* (pudicitiae nempe) *Liuiam uxorem Drusi praecellebat*. Ut non mirum sit FECVNDAITATIS templum in Augustae Poppeae gratiam olim in urbe erectum, Tacitus Annal. XV. c. 23. aut quod vti ARA PUDICITIAE subinde in nummis; ita eius sacra et sacerdotes occurunt in prisca aliquot Auctorum Lapidumue monumentis. Evidem illud insolitus forte saeculi nostri moribus vides hic mecum, mi OCTAVI, inter praecipuos nempe et solemnes Augustarum, hoc est, primi inter mortales fastigii, titulos, non formam, non ingenium, non munificentiam, dotes certe haud contempendas; non alia fortunae aut animae bona; sed vnam ferme PUDICITIAM, aut in coniugem liberosue PIETATEM vel FIDEM crebro adeo celebrari. Hactenus SPANHEMIVS.

c) Interpretate IOANNE BVRCHARDO MENCKENIO. Vide Orationes EIVS iunctim 8. editas, cura Cel. Filii, FRIDERICI OTTONIS MENCKENII p. 24.

GVSTVM et MARIAM IOSEPHAM concordes seruaret, et pericula quaevis, damnorumque et morborum omne genus longissime ab **IIS** auerruncaret, nec vnquam castos amores **EORVM** extingui pateretur. Precata est eodem tempore Academia, vt **FRIDERICVS AVGVSTVS** et **MARIA IOSEPHA** felices viuerent, ac stirpi Saxonicae de perpetua Heroum successione proficientes spes atque vota eius superarent.

Et certe **DEVS** haec vota nostra non modo rata habuit, sed etiam longissime superauit. In domo enim **NOSTRI AVGVSTI** sedem suam fixit **CONCORDIA AETERNA**,^{d)} saluus et incolumnis est **REX** cum **REGINA**, sacratissimus et fecundus est genialis torus, habet **AVGVSTVS** regnum securum, exercitus fortis, senatum fidelem, populum probum, et quaecunque sunt Principis vota et desideria, adeo, vt **NOSTRVM AVGVSTVM Octavianoo Augusto Imperatore feliciorem esse censeamus**^{e)}.

Precata est Academia, ante hos quatuor, et quod exce-
dit, annos, vt **MARIA IOSEPHA** esset **ELISABETHA**, Poloniae Regina, Regis **CASIMIRI** vxore, felicior, quae filia et soror **Caesaris**, Regis coniux, mater quatuor Regum, et sex filiarum, magnis Principibus nuptarum, rarissimo exemplo, fuit^{f)}. Atque huius etiam voti

b

iam

d) Haec inscriptio exstat in nummo Elogabali. Visitur in eo Vesta, quae illius Principis et Coniugis Iuliae Paulae dextras iungit cum inscriptione: **CONCORDIA AETERNA**. Vide **SPANHEMII** diss. III. p. 149.

e) **EV TROPIVS** in Breuiario Rom. Hist. Lib. VIII. c. 2. commemorat, ad suam usque aetatem non aliter in Senatu Principibus acclamari, nisi **FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO**.

f) Interprete **IOANNE ERHARDO KAPPIO** in Oratione inaugurationi Regiae sacra, litt. G.

iam aliqua ex parte compotes facti sumus. Quot enim
amoris Regii pignora veneramur, veneramur autem in
praesenti septem, tot gentium spes et fulcra, tot saeculi no-
strī ornamenta illa futura esse, iure quodam auguramur.
Princeps enim Regius, FRIDERICVS CHRISTI-
ANVS, non solum cum vtroque fratre, exemplo Aui
Patrisque, in imperia et regna adolescit, sed etiam diuina
illa, et incomparabili, qua praeditus est indole, excitatus,
artes, principatus bene administrandi, quas Serenissimus
EIVS Proauus, CHRISTIANVS ERNESTVS,
Marchio Brandenburgicus, singulari oratione eaque sole-
mini A. c. 1559. in Academia Argentoratensi, cum sum-
ma omnium admiratione recitata, facunde exposuit ^{g)}, ad
miraculum vsque tam industrie excolit, vt, EVNDEM DE-
LICIAS SAXONIAE, imo GENERIS HUMANI, futurum
esse animo vere praecipiamus. In primis autem REGIS NO-
STRÍ filia natu prima, Serenissima ac Regia Princeps, Do-
mina, Domina MARIA AMALIA, Dux Saxonie,
Iuliae, Cliviae, Montium, Angriae et Westphaliae, huius
maximae felicitatis, quam soboli regiae adprecati sumus,
NOSTRVM REGEM REGINAM QVE primo facit parti-
cipem, dum ipsis Calendis Ianuariis, quibus Romanos vota
fua alligasse constat ^{h)}, sponsa Serenissimi ac Potentissimi
Principis ac Domini, Domini CAROLI, vtriusque Si-
ciliae Regis, declarata fuit.

Quod

g) Prodiit haec Oratio in sol. eodem anno Argentorati, annoque sequenti Baruthi in Germanicam linguam conuersa excusa fuit. Praemissa est eadem Clarissimorum virorum
Orationibus selectis, cura IOANNIS ERHARDI KAPPII Lipsiae A. c. 1550 CC XL.
8. publicatis.

h) Vid. HADRIANI IVNII Fastorum librum T. VIII. Thesauri Graeciani Antiquitatum
Romanarum & IO. FRIDERICI SCHARFFII Schediasma de noti anni votis Wit-
tib. A. c. 1550 C LXXXIV. 4. publicatum. §. 6. & praecipue BARNABAM BRISSONIVM
de spectaculis et feriis T. VIII. Thesauri Gronouiani Antiquitatum Graecarum p. 2427.

Quod igitur diuinum, et quem prouidentiae digitum,
in electione Nostri Regis in Regem Poloniae, et in felicis-
simi Comitiorum Varsouiensium A.C. 1515 CC XXXVI. in-
stitutorum, ante hos duos fere annos, mirati sumusⁱ⁾: il-
lius documentum denuo in hoc fortunatissimo CARO-
LI et MARIAE AMALIAE connubio, et depre-
hendere et admirari licebit. Quis quaeso, ante aliquot an-
nos, credidisset, Filiam Nostri Regis, cuius electio in Re-
gem Poloniae caufa belli, inter Imperatorem, et inter Gal-
liae, Hispaniae et Sardiniae Reges, gesti, et quo bello CA-
ROLVS vtramque Siciliam sibi vindicauit, in pace
postea inita, EIDEM concessam, obtendebatur, a CA-
ROLO tori sociam electum iri, eamque vtriusque Sici-
liae Reginam futuram esse? At FRIDERICVM
AVGVSTVM et MARIAM IOSEPHAM,
viua illa illustrium et regiarum virtutum exempla, non
possunt non inusitata virtutum praemia manere, EORVM-
QUE foboli Regiae, eximiis virtutum omnium, et sollici-
tae educationis imaginibus, non possunt non augusta, et
praecipuis praecipuorum Europae Principum domibus
innexa matrimonia contingere.

Dubium fere est, vtrum CAROLVS MARIA
AMALIA, an MARIA AMALIA CARO-
LO sit dignior. Ille Bourbonici et Parmensis sanguinis
propago, PHILIPPI V. Hispaniarum Regis et ELI-
SABETHAE, Ducis Parmensis, est filius; haec ex Sa-
xonicco et Austriaco sanguine orta, FRIDERICI
AVGVSTI, Poloniarum Regis et MARIAE IO-
SE-

i) in Programmate, nomine Rectoris a JOANNE ERHARDO KAPPIO A.C. 1515 CC XXXVI.
publicato, de eo quod diuinum est in electione AVGVSTI III. in Regem Poloniae.

SE P H A E est filia, a quibus Principibus, omni laude cumulatissimis, non nisi filii filiaeque ad auorum, auiarum et parentum gloriam adspirantes, creari possunt. C A R O-
L V S, augustorum Parentum cura, in sede Regia follicite educatus, bonis litteris, quae Principem decent, a tenera aetate innutritus, et ad regni habenas, prudenter admini-
strandas, mature praeparatus, vtramque Siciliam, quam per
varios casus rerumque discrimina adiit, omni sapientia gu-
bernata, florem litterarum in his regnis, non sine magnis
largitionibus, in Vniuersitatem Neapolitanam effusis, in-
staurata, ipse Princeps litteratus, et sapientissimi ALPHON-
SI, Aragonum et Siciliae Regis^{k)}, imitator.

M A R I A A M A L I A in gremio Matris, cui sapi-
entissima educatione nihil prius, nihil est antiquius, a pri-
ma aetate educata, omnibus, quae sexum suum et Regis
sponsam decent, decoribus et ornamentiis adeo condecora-
ta est, ut una fere, inter cunctas Europae Principes,
omnes et singulas, quas nonnulli in Regum vxoribus cir-
cumspicere solent virtutes, possidere videatur.

H E N R I C V M IV, Regem Galliarum sapientissi-
mum, accepimus, septem praecipue in Regis vxore desi-
derasse, ut esset pulchra, pudica, placidis moribus, ingenio
subacto, fecunda, illustribus natalibus orta, magnosque
status possideret. Quanquam vero idem HENRICVS
existimauit, eiusmodi vxorem nunquam forte fuisse in lu-
cem editam, nec facile in lucem editumiri:¹⁾ omnes tamen
facile largientur, N O S T R A M A R I A M A M A-
L I A M

k) Vide Parallela Alfonina, Hanouiae ex Bibliotheca MARQ. FREHERI 4 edita p. 8.

1) PETRVS BAYLIUS in Dictionario Historico et Critico in Articulo HENRI IV. ex
SVLLII Commentariis T. II. p. 112. edit. Belg. haec refert: *En aurois une, laquelle*

L I A M his virtutibus maximam partem esse insignem, immo nobiscum precabuntur, vt EADEM fecunditate sua vtrique regno de perpetua heroum successione sit prospexitura, felicissimoque regiae sobolis partu, **A V G V S T I C O N I V G I S**, **A V G V S T O R V M P A R E N T V M**, AVIAE AVGUSTAE spes, et desideria tot gentium fit impletura.

Acclamamus igitur **C A R O L I** et **A M A L I A E** connubio **L A E T A O M I N A**, quibus ciues Romanos Imperatoris Neronis et Poppaeae nuptias prosequutos fuisse, canit **S E N E C A**^{m)}, acclamamus **D O M I N O** ac **D O M I N A E F E L I C I T E R**, qua formula Romanos Domitiano acclamasse, ex **S V E T O N I I** vita Domitiani c. XIII. apparetⁿ⁾. Acclamamus **H Y M E N A E V M**, id est, ex Procli sententia, **F E L I C E M V I T A M**, **F I D A M S O C I E T A T E M** et **M V T V V M A M O R E M C A R O L O** et **M A R I A E A M A L I A E** optamus ac precamur^{o)}. Non dubitamus, quin ipse **C A R O L V S**, pro coniugii sui cum **M A R I A A M A L I A** felicitate, vota suscepturnus fit, prisco Romanorum more, quos id fecisse, vel ex inscriptione antiqua^{p)} patet :

C

T. AV-

auroit entr' autres bonnes parties, sept conditions principales, Asçavoir: Beauté en la personne, Pudicité en la vie, Complaisance en l'humeur, Habilite en l'esprit, Fecondité en generation, Eminence en extraction, et Grands Etats en possession. Mais je croys (mon amy) que cette femme est morte, voir peut-estre n'est pas encor née ny preste à naitre.

m) In Octavia Actu IV. Scena I. Vide **F R A N C I S C I B E R N A R D I N I F E R R A R I I** Lib. VI. de veterum acclamationibus c. XII. Tomo VI. Thesauri Graeuiam p. 178.

n) Vide **F R A N C I S C U M B E R N A R D I N U M** lib. cit. p. 179.

o) Vid. **E V N D E M** lib. cit. c. 14. vbi Procli sententiam ex eius Chrestomathia repetit, suoque calculo confirmat.

p) Extat in **I A N I G R V T E R I** Corpore inscriptionum p. LXX. vbi obseruatur, **R E I N E S I V M** per processus coniugium intellexisse, quos alii per successus prosperos explicant.

T. AVRELIVS. AVG. LIB
DIOSCVRVS. VOTVM
AESCVLAPIO. SANC
TO. OB. PROCESSVS
SVOS. CVM. VALERIA
NICE. CONIVGE. ET
AVRELIS. DIOSCVRIS
VITTORINAE FILIS
D. D

Hanc pietatem etiam ciues Romani in nuptiis Caesarum et Augustarum declararunt, et saepius **VOTA PVBLICA**, pro felici earum successu, fecerunt. Extat in Gaza Gallorum Regia singularis quidam mole ac pretio nummus, in quo hinc mutuo se respicientia *Commodi* et *Crispinae* capita intueri licet cum inscriptione: **IMP. COMMODVS AVG.** **GERM. CRISPINA AVG.** in altera autem parte Mulierem velatam seu Vestalem inter *Commodum* et *Crispinam*, iungentes dextras, at sine inscriptione, quam tamen opportune ex alio simili nummo, ab illustri **BIRAGIO**^{q)} indicato, et inscripto: **VOTA PVBLICA**, nempe ob matrimonium *Commodi* cum *Crispina*, illustris Baro, **EZECHIEL SPANHEMIUS^{r)}**, suppleuit. Obseruat idem **SPANHEMIUS** eundem typum et inscriptionem eam in rem in Faustinae Matris et M. Aurelii nummis occurtere, nisi quod stolata tantum sit intermedia mulier, non velata, atque ita non Vestalem in iis sed Concordiam notare. Prouocat etiam **SPANHEMIUS** citato loco ad **DIONYSI PETAVII**, doctissimi Ignatiani sodalis, annotationes ad Iuliani Misopogonem, in quibus ex Ambrofio et Augustino probasset, **NVPTIALIA** seu **NVPTIARVM VOTA**, pro felici nuptiarum successu, apud Romanos suscipi consueuisse^{s)}, partim ad

AL-

^{q)} Num. Imper. p. 259.

^{r)} In dissertat. undecima de praefantia et vsu Numism. antiquorum p. 292.

^{s)} p. 106. edit. Lipsiensis, vbi tamen arbitror, votorum nuncupationem pro felici nuptia-

ALBERTVM RVBENIVM, qui idem ad dictum
Faustinae senioris numimum ex eodem Petauio demon-
strasset^{t)}.

Haec VOTA PVBLICA, pro felici suc-
cessu nuptiarum CAROLI, cum MARIA AMA-
LIA celebrandarum, suscipit quoque nunc tota fere Eu-
ropa, suscipit Hispania, suscipit vtraque Sicilia, suscipit
Saxonia, suscipit Academia Lipsiensis, Serenissimis
SPONSIS deuota. Suscipit etiam haec VOTA
NVPTIALIA PVBLICA, priuata tamen, eaque
demississima pietate, ductus, Perillustris Iuuenis, WOL-
DEM ARVS, Sacri Rom. Imperii Liber Baro a
SCHMETTAV, Viri Illusterrimi atque Excellentissi-
mi, Domini WOLDEMARI, Sac. Rom. Imperii Baro-
nis a LOEWENDAHL, supremi aulae Regiae Dref-
densis Mareschalli, ex filia nepos, pietatis auitae, vtrique
FRIDERICO AVGVSTO perpetuo probatae, ex
asse heres, ciuium Academiae nostrae ornamentum. Hic
auitas laudes et merita, in Domum Regiam et Electora-
lem prorsus insignia, non melius se aemulari posse vere
arbitratus est, quam si Oratione solemini; eaque disertif-
fima, Nuptias CAROLI, cum MARIA AMALIA
celebrandas, publice HISDEM gratularetur, et religio-
sissima, pro felici earum successu, nuncuparet vota. Di-
ctus est huic festiuitati dies crastinus, vicefimus octauus
Aprilis, qui, vt post Musicos concentus, quibus hodie

Aca-

rum successu melius probari ex numinis et adlata inscriptione, quam ex duobus Am-
brosi locis, in quibus per vota coniuia nuptialia, ipsaeque adeo nuptiae intelliguntur.
Nec locus Augustini rem probandam fatis probat.

t) Not. ad Num. Duc. Arsch. Tab. XLIII. 6.



Academiae nostrae ciues REGEM, REGINAM,
REGIAM SPONSAM, a quibus, tanquam auspicatissimis sideribus, nunc illustramur, deuotissime venerabuntur, post artificiosos ignes, in signum laetitiae publicae, qua ob facros EORVM vultus, nobis inhiantibus illatos, exultamus, a tota vrbe Lipsiensi accendendos, feliciter et fortunate illuceat, ex animo precamur. Venite igitur *Illusterrimi Comites, et Vtriusque Reipublicae Proceres*, craftina luce, post horam VIII in facellum Templi Nicolaitani, deducite nos in templum Academicum, audite Oratorem facundum, votorum publicorum interpretem, nuncupate nobiscum vota, pro salute FRIDERICI AVGVSTI, MARIAE IOSEPHAE, CAROLI et MARIAE AMALIAE, acclamate Sponsis FELICITER, acclamate EIS Hymenaeum, id est, FELICEM VITAM, FIDAM SOCIETATEM, MVTVVMque AMOREM, et persuasi estote, DEVUM haec religiosissima vota, pro salute horum NVMINVM, a quibus tot populorum spes vnice pendent, facienda, certissime esse exauditurum. P. P. Lipsiae Dominica

Iubilate A.R.G. cccc xxxviii.

LIPSIAE,
LITTERIS BREITKOPFIANIS.



Pon Vd 264 , FK

✓



56,



f. 10, 21a

Vd
264

AD
ORATIONEM SOLEMNEM
QVA
AVSPICATISSIMVM CONNVBIVM
INTER
SERENISSIMVM AC POTENTISSIONVM
PRINCIPEM AC DOMINVM
DOMINVM
C A R O L V M

HIEROSOLYMAE ET VTRIVSQUE SICILIAE REGEM
HISPAÑIARVM INFANTEM ETC. ETC. ETC.

ET
SERENISSIMAM AC REGIAM PRINCIPEM AC DOMINAM

DOMINAM
MARIAM AMALIAM

SERENISSIMI AC POTENTISSIONI PRINCIPIS
AC DOMINI

DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI
REGIS POLONIARVM ET ELECTORIS SAXONIAE
ETC. ETC. ETC.

FILIAM NATV PRIMAM

DVCEM SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGRIAEC AC WESTPHALIAE ETC. ETC. ETC.

CRAS D. XXVIII. APRIL. A. R. G. c/o Is CC XXXVIII

IN TEMPLO ACADEMICO

CELEBRABIT

WOLDEMARVS S. R. IMP. LIB. BARO
A SCHMETTAU

DECENTER INVITAT

ACADEMIAE LIPSIENSIS RECTOR.

